QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS. MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XI. DECEMBRIS.
M. PETRO HOMMETZ Doctore Medico, Moderatore.

An Peripneumonia æmula Pleuritidis? 769



VAM rerum quarundam potens sit in alias imperium, & quàm indissolubilis aliarum nexus & societas, non modò partium totius Vniuersi inter se assensus & mutuæ συμπάθειαι, sed earum præsertim in nobis ad vtranque sortem initum fœdus ac solemnis conspiratio testatur. Thorax quidem respirationis, operis merè animalis organum, cuius priuatione, ἄπνοιαν intelligo, nunquam vita superstes, vix vno & simplice, nullo aut leui aut exiguo malo conflictatur: quippe qui infra supráque se positis visceribus, si quando minùs benè habuerint, premitur ac percellitur, vnáque cum his in ægri perniciem conspirat. Hydrops accessione tussis fit lethalis. Neque minùs prauum est, si κορύζαι & sternutamenta morbos pulmonum antecedant & sequantur; quod alioqui in cæteris ferè salutare. Partium enim medio ventre contentarum viciniâ, officij societate, viarum & meatuum communione implicitos sibíque mutuò succedentes, tam μεταπτώσει, quàm ἐπιγενέσει semper calamitosâ, patitur affectus: quodque magis mirum est, cum auribus dolet, cum genitalibus afficitur. Angina fœliciter peripneumoniam excipit: hæc non ita abscessum. Namque corruptelæ, exulcerationis, hydropis (non minùs in thorace quàm in abdomine & vtero lethalis) metum adfert. Pleuritidis in peripneumoniam mutatio periculosa: peripneumoniæ in pleuritidem nulla μετάπτωσις. Hanc tamen illa sæpiusculè symptomatum planè similium partis affectæ & humoris morbifici naturam consequentium concursu, tam ingeniosè imitatur & ementitur, vt falsò pleuriticus ex inflammatione lateris credatur & curetur æger, qui tandem obsessâ & euictâ phlegmone pulmonum substantiâ, non recedentibus dolentis pleuræ indicijs, verè peripneumonicus occumbit.



ARTIVM spirabilium ægrè affectarum communia symptomata sunt tussis & δύσπνοια. Illa quos efficit fouetque thoracis morbos, eosdem curat: huius parens intemperies quæuis, nuda vel cum materia. Vetus & sicca tussis cum raucitate φθίσιν semper immedicabilem portendit. Crebra & velox sine febre spiratio, quæ adiunctum habet μετέωρον πνεῦμα in diuturnâ pulmonum ægritudine, asthmatis argumentum est, cui febris superueniens perniciosa. Hanc gignit pulmonum resiccatio, & aquarum aut puris in thorace συναθροισμός, qui cum assiduâ virium infirmitate suffocationem & interitum parit; vt & ὠμὸν φῦμα asperæ aut læuis pulmonum arteriæ, quod sine stertore, sed pulsu inæquali perseuerante ægrum exercens, cordis palpitationem, tandem & syncopem irreparabilem profert. Quanquam frequentiùs ortum habet à vasorum plenitudine, quam venæ sectio soluit: aut bronchiorum obstructione à crasso, lento, viscidóque humore spiritus vias cum stertore occludente, cui ἀρτηριακὰ prosunt calida sicca medicamenta. Tussiculosos & anhelosos affectus fouet, statisque periodis excitat & acerbiores facit perennis è capite aut vicinis partibus humoris tenuis ac serini decubitus in pulmones, qui seniores ad mortem vsque comitatur, iuniores ac viros magis & sæpius quàm mulieres periculosè fatigat; vt & pulmonis ac pleuræ inflammatio, in qua breuem, angustum, aut cum ὀρθοπνοίᾳ spiritum ducere doloris acerbitas cogit. Vtrique superueniens, licet adaucto periculo, delirium, magnam & διὰ πολλοῦ χρόνου respirationem facit.



LEVRITIS ab inflammatione systrophicâ membranæ costas succingentis & musculorum intercostalium rariùs contingit, ob membranæ δυσπάθειαν. Frequentior illa est, quæ pulmonum calamitatem sequitur, infidáque doloris mitigati specie in peripneumoniam degenerat, vt φρενῖτις in lethargum, partis affectæ νεκρώσει, vel oppressione; in quâ non tam prioris morbi mutatio fit, quàm noui & longè maioris accessio. Pulmonum inflammationem cum externorum thoracis musculorum conuulsione fieri, salutare. Faustis quoque ægri rebus exquisita pleuritis abit in spuriam, quæ fotu & purgatione profligatur: vt & illa quæ ad hypocondrium vergit. Genuinam ac supernis partibus insidentem, quæ frequentior in dextro, deterior in sinistro latere, pessima & ferè deleteria φελκώδης, procreat sanguis biliosus, tenuis, spumans, ἰχωροειδής, rarò pituitosus aut melancholicus: vnde pleuritidi οἱ ὀξυρεγμιώδεες non sunt obnoxij, vt nec senes, nec pueri. Magna grauiorum symptomatum caterua hancce pleuritidem comitatur: febris acuta & vehemens, tertianæ in modum alternis diebus acriter sæuiens; dolor νυγματώδης ad iugulum exporrectus, qui repetitâ κατ' ἴξιν venæ sectione, etiam cruentis sputis apparentibus, mitescit, catharsi vel mediocri exacerbatur: pulsus durus, tensus, tussis primis diebus inanis & sicca, vel pulmonum compressione, vel aliunde factâ in ipsos seri tenuis & acris expressione. Haud aliter ἡπατῖτις singultum mouet, & cerebri phlegmone lachrymas inuoluntarias, ac conuulsionem.



VLMONIS inflammationem (à qua vt à pleuritide exercitata, coactaque corpora celeriùs intereunt, quàm quæ in otio versantur) stipatam grauioribus symptomatis, quiuis humor, aut aliunde accersitus, aut ipsâ in parte collectus procreare potest; frequentiùs tamen sanguinis vbertas & copia vasa pulmonis obstruentis, & horum substantiam mollem, raram, bibulam madefacientis. Porrò hic putrescens inflammati constrictique visceris edit signa certissima, stertore, μετεωρισμῷ, pectoris grauitate & angustiâ. Idem parte aliquâ pulmonis coaceruatus, systrophicam parit inflammationem; quam dolor acerbior ex vestientis membranæ & pleuræ consensu, genarum rubor, faciei moles turgidula, pulsus magnus, mollis, inæqualis comitantur. Si feruidior sanguis, tenuiorique bile perfusus in pulmones irruat; vel ipsorum intemperie calidâ, vique attractrice quâ eximiâ pollent, illectus; vel hepatis aliorumque viscerum, aut venarum æstu & καυσώδει in hos expulsus ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες parit. Hoc accensâ pulmonum membranâ, & neruorum insigni propagine è sexto pari bronchia pulmonum perreptantium, in illâ quæ per tussim & ἀνακάθαρσιν fieri debet noxij humoris reiectione, dolorem acerbissimum excitat, qui lateris dolorem fodicantem ortum à pleuritide ita æmulatur, vt eandem dignoscendi legem, eosdemque curandi scopos subiiciat.



VIVS ementitæ pleuritidis (quæ verè περιπνευμονία est) signa sunt: dolor stimulans ad iugulum, omoplatas, pectus, spinam, sæpiusque hinc inde productus, qui etiam immoto & quiescente thorace persentitur: febris acutissima, δύσπνοια maior: calidi spiritus exspiratio, χωρὶς ἐκφυσήσεως: delirium, neruorum afflictorum ἔγγονον: pulsus durus, πελιώδης, omnis membranæ neruosæque partis proprius: tussis molesta, irrita, arida initio, quâ nihil ἀξιόλογον excernitur, sed serosa duntaxat illuuies, calidioris biliosique humoris expressionem in arteriæ tubulos significans; quam tandem sequitur πτύελον ξανθὸν αἵματι μὴ πολλῷ συμμεμιγμένον, cuius, vt alterius, cita & facilis reiectio, omnium thoracis affectionum genuina est & salutaris crisis. Hanc tamen nonnisi abscessu rupto, & intra thoracem effuso pure, per densiorem & crassiorem pleuram fieri, vix credas. Quòd si aut copiosâ expuitione, aut frequenti sanguinis eductione ex vtriusque brachij & malleoli venis, aut biliosâ & copiosâ alui proluuie, dolor non sedatur, ἐμπύημα exspectandum, à quo quidem longè maius periculi, quàm salutis augurium est: eâ potissimum pulmonis parte collecto pure, quâ è directo lateris dolor pungebat, quanquam illæsa permansit costas succingens membrana. Graue malum atque imprimis formidabile, nisi purulenta materies ταχέως καὶ εὐπετέως per laryngem & os educatur, aut tota per vrinas & aluum effundatur: cuius alioqui subsistentis, maturè celebratâ lateris punctione, tentanda vacuatio.

Ergo Peripneumonia æmula Pleuritidis. 214

Proponebat Lutetiæ MATHVRINVS ALTON Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Regnier.	*M. Franciscus Boujonnier.*	*M. Iacobus Perreau.*
M. Ioannes de Bourges. 32 f.	*M. Ioannes Berault.*	*M. Franciscus Lespicier.*
M. Ludouicus Robillard.	*M. Claudius Lienard.*	*M. Georgius Cornuty.*